DE
NERVORUM MORBIS GENERATIM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOANN. AUGUST. HUEBNER

LEOMONTANUS SILESIUS

DIE XXVII. M. MARTII A. MDCCCXIX

H. L. Q S.

BEROLINI,

TYPIS JOANNIS FRIDERICI STARCKII.

VIRO

EXCELLENTISSIMO DOCTISSIMO REVERENDISSIMO

CAR. GUIL. LUD. SCHEDE

OLIM A CONSILIIS REI PUBLICAE MODERANDAE, NUNC JURIDICO PUBLICO, JUDICIO REGIO CAMERALI ADSCRIPTO

UT REVERENTIAE

SPECIMEN QUALECUNQUE EXHIBEAT

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

Praefatio.

Commentariolum aliquod medicum conscripturus, quum diu haesitassem, quodnam ex magno medicinae thesauro argumentum ad id depromerem, tandem statui de morbis nervorum universim consideratis brevem qualemcunque scriptiunculam exhibere, neque eam prorsus absolutam, sed tironis tantummodo opera excultam atque elaboratam. Excusationem vero, si haec vel illa parum responderint, ab iis promeriturum me esse confidenter spero, qui, quanta in elaborationibus eiusmodi difficultas haereat, quantaque experimentorum scientia is instructus esse debeat, qui nova proferre de quaestionibus per longam saeculorum seriem agitatis, velit, aliquanto curatius secum reputaverint. Neque in reprehensionem incurrisse mihi videor, quod in re tam ardua atque difficili, quam ne ipsis quidem a medicis tum ingenio tum experientia excellentissimis assidua naturae pervestigatione ad finem perductam esse constat, tirocinium posuerim. Allicit enim potius ad elaborandum, quam deterret difficultas, omneque studium eo conferendum est,

ut obscurae in medicina res quomodocunque revelentur ac in luce ponantur, nec protinus, ut ad me redeam, desistendum ab opere mihi videbatur, quamvis, quod libere confiteor, imparem componendo absolutiori de morbis nervorum commentario me sentirem, „quorum sedem in abstruso latere, hinc rationem eorum physicam tam parum fuisse perspectam, ut non tirones, non vulgares medici, sed principes in arte viri ad Daemones, praestigia et nescio quae incondita, potius confugerint, quam ut eos ex legibus corporis humani explicare ausi sint," Boerhaavius *) *haud inscite affert. Tandem id mihi agendum videbatur, ut ex more et consuetudine illa academica, qua nihil praestantius unquam excogitari potest, quaestiones quasdam dubias publica disputatione ventilandas, summos in medicina et chirurgia honores consecuturus proponerem. Adeste igitur frequentes, Commilitones suavissimi, atque data cuilibet oppugnandi facultate humaniter utamini, opusculo vero qualicunque, ut soletis, favete.*

---

*) De morbis nervorum, ex edit. Eems. Lugdun. Batavor. 1761. Tom. I. pag. 1.

De nervorum morbis generatim.

Nervorum morbi, sive Neuroses dicuntur, quorum sedes in nervorum compage est, primitus affecta, unde deducere eminentissima eorum symptomata licet, quae, etsi cum aliis quibusdam ceterarum corporis partium haud raro coniuncta, maximam tamen eamque principem aegritudinis partem conficiunt. Sunt vero febris omnino expertes et decursus plerumque incerti, ideoque in morborum longorum permagnam classem referuntur, a cujus singulis generibus quomodo differant, non est, quod pluribus commonefaciam. Sunt enim haec in aliis quibuscunque praeter nervorum compagem partibus, posita, eorumque symptomata inde originem capiunt. Probe autem in animo tenendum est, singularum partium vitam atque actiones penitus inter se coniunctas esse et perspicuam quasi communionem inire, id quod assidua tum sani tum affecti corporis observatione adeo evictum est, ut dubitationem vix ullam recipiat. Exin de consequitur nullum revera morbum esse posse, qui symptomata referat, ex una

solummodo vel compage vel parte oriunda, contra plures ad illa simul vel paene omnes conferre debere. Quoniam vero nervorum compagem principem, ut ita dicam, in efficienda corporis vita locum tenere, nemo est, qui dubitat, mirum videri nequaquam potest, paucissimos esse vel plane nullos corporis humani affectus, qui nervorum symptomata aut nulla excitare aut perexigua valeant, quod exemplis luculentius demonstrare supervacaneum est. Plurimi igitur et acutioris et tardioris decursus morbi nervorum symptomatibus ideo stipati sunt, quod nervorum infinita multitudo ceteris partibus et implicata est et maximam vitae, ut videtur, partem penitiori coniunctione cum iis communicat. Eiusmodi autem humani corporis affectus morbos nervorum nuncupare, et minus convenit, neque consentaneum praemissae horum definitioni est, qua primitus affecta nervorum compages esse debet, neque aliunde quam ex se ad morbosas actiones provocata.

Minus itaque nervosae quae dicuntur febres ad nervorum morborum classem pertinent, quae quamvis nervorum symptomata vel plurima eaque periculosiora exhibeant, haec tamen ex vasorum morbo oriunda repraesentant. Idem valet de variis longorum morborum generibus, praesertim de chlorosi et vermitione, caeterisque qui sub cachexiae nomine vulgo intelliguntur, in quibus etsi magnopere nervi laborant et symptomata fa-

cile insigniora referunt, vis tamen reproductiva et maxime et primitus laesa, ideoque malus ille corporis habitus eminentissima penitioris affectus nota est. Gravem vero in errorem eos incidisse medicos, qui totam corporis vitam solis nervis acceptam retulere, sic ut actiones tam vitales quam naturales et sexuales e communi illo fonte emanare arbitrarentur, et ex physiologiae emendatioris praeceptis patet, et ex apoplexiae exemplo clarissime elucescit, qua nervorum quidem vis maxima ex parte extinguitur, ceterae vero actiones prorsus illaesae manent.

Quodsi paullo exactius in discrimen inter nervorum morbos et cachexiae varia genera inquirere velis, morbus quicunque nervorum exquisitior habitu corporis non adeo depravato, neque humorum indole, neque secretionibus tam insigniter a naturae norma aberrantibus facile a cachexia distinguitur. Febres vero, ut ceteras earum proprietates taceam, eo vel maxime a nervorum morbis differunt, quod maiorem naturae actuositatem referunt, quae vel ad sanitatem aegros perducit, vel in periculum vitae vocat, cuiusmodi naturae vis nunquam in illis observatur.

Hinc morbi nervorum nullas vel febrium vel morborum cachecticorum notas prae se ferunt, quamvis in alterutrum genus frequenter implicentur, potest enim vel febricula vel malus qualiscunque corporis habitus variis de causis supervenire, id

quod supervacaneum videri potest, ex legibus morborum generalioribus repetere.

Iam vero, ut ad praemissam nostram definitionem redeamus, quod primitus nervorum compagem in morbis nervorum affectam esse debere dixi, id non ita accipi velim, quasi omnes morbos ab eorum classe segregaverim, qui ex alio quocunque corporis affectu exorti, eminentissima nervorum symptomata referunt. Sunt enim et secundarii sive deuteropathici nervorum morbi, ad hanc classem utique annumerandi, dummodo vel priores morbi, qui tanquam causae eorum accusantur, vel prorsus evanuerint, vel perexigua tantum et perobscura symptomata reliquerint. Ita ex vermibus morbos nervorum exquisitissimos oriri posse, in quibus ne minimum quidem prioris morbi vestigium superest, similiterque alios nonnullos nervorum morbos inducere posse, prioribus illorum symptomatibus vel pedetentim et gradatim evanescentibus, vel minori vehementia usque persistentibus, neminem profecto fugit. Ex his itaque, nervorum morbos et a praevalentibus et a primariis nervorum symptomatibus dici, luculenter apparet, neque idoneum est, insuper adducere, eo quoque nervorum morbos a febribus et a cachexiae variis generibus differre, quod nec natura ut in illis, nec ars ut in his multum ad recuperandum salutem confert, unde medicorum opprobrium plerique eorum haud iniuria habentur.

Actiologia generalis.

Iam causas nervorum morborum explicaturus, plurimis profecto difficultatibus me impediri sentio. Latet enim in abstruso nervorum peculiaris vita, eorumque actiones parum exploratas esse constat. Quomodo vel sentiant, vel voluntati obediant, quomodo mens cum iis et animus penitiori connubio coniungatur, ita ut intelligere et ratiocinari valeamus, plane nos fugit, unde mirandum non est, varias variis a medicis opininiones in medium prolatas esse, quibus ista explicarent.

Ita fuere, qui cerebrum pro glandula habuerint, in qua liquidum nerveum secerneretur, ex cuius modo celeriori, modo languidiori motu, vel abundantia aut defectu aut et acrimonia morbos nervorum deducerent. Alii ex debilitate nervorum morbos hos oriri crediderunt, alii ex ataxia, quam dicunt, originem sumere perhibuerunt. Mala deinde nervorum conditio in causam sumta est, quae quid sit, explicatum nondum habemus.

Recentiori tempore medici quidam erectioris ingenii operam dederunt, ut nervorum istam vim aliquanto accuratius pervestigarent, neque inficias eundem est, plurimum ab iis ad illius naturam paullo clarius intelligendam collatum esse. Maxime vero doctrina de nervorum vi experimentis

quibusdam physicis illustrata est, modo electricitate, modo galvanismo, modo magnetismo in usum vocatis atque ita cum nervis communicatis, ut tanquam conductores eos agere, clarissime eluceret. Vim vero nervorum propagatricem electricitatem animalem dixerunt, ut cetera istiusmodi nomina maximam partem arbitraria taceam, quae quo substiliores notiones significant, eo magis a veritate rececessisse ipsorum auctores, certissimo testimonio manifestant. Plurimae igitur de causis nervorum morborum proximis traditae sententiae coniecturales sunt, nec est, cur diutius illis immoremur.

Iam exactius aliquanto in causas nervorum morborum disponentes excitantesque inquiramus. Proclivitas ad nervorum morbos saepissime per hereditatem accipitur. Ita parentes epileptici aut maniaci idem malum in liberos transferunt, quod permultis sane observationibus comprobatum est. Saepe illa proclivitas evidenter organica est, saepe eius indoles in obscuro versatur, dynamicam vero propagari non posse ea ratione contenderim, quod nullus morbus sine materiae vitio cogitari potest, indeque et nervorum morbi aliquam certe structurae nervorum commutationem agnoscunt. Proclivitatem vero ad quemlibet morbum, quatenus huius fere pars habenda est, eandem indolem prae se ferre, per se patet. Ceterum maxime proclivis in morbos nervorum aetas infantilis et iuvenilis

est, infantes certe ex causa levissima convelluntur, minime vero in morbos nervcsos proni sunt senes. Maxime praeterea κενεαγγικοὶ ex iactura vel sanguinis, vel seminis, vel lactis, itemque omnes infirmi, qui et vigiliis nocturnis, nimia studiorum assiduitate, variis animi permotionibus exhausti doloribusve confecti sunt, morbis nervorum patent. Feminae vero facilius id genus mala nanciscuntur, quam viri, quoniam teneriores sunt et maxime agiles, hinc medici putaverunt nonnulli, ex debilitate nervorum hos morbos exoriri, quod facile permultis hominum robustissimorum exemplis refutare licet, qui in morbos nervorum inciderunt, praesertim in epilepsiam, insaniam et morbum hypochondriacum.

Causae excitantes innumerabiles fere maximeque variae sunt, sic ut nullum fere irritamentum morbosum excogitari possit, quod morbum aliquem nervorum provocare nequeat, saepissimeque observatur, causas tam externas quam internas etsi maxime inter se diversas variis tamen rerum sub conditionibus istiusmodi morbos inducere, e quorum numero summam corporis exinanitionem, quam κενεαγγείην vocant et plethoram attulisse sufficiat, itemque cruditatem et inediam, perfrigerium et exaestuationem. Neque minor causarum, quas dicunt materialium quam dynamicarum, ut meditationis nimiae aliarumque talium efficacia in nervorum compagem est, ita ut nervorum

morbi ab utrisque excitari possint. Maxime vero peculiaris illa nervorum temperies, quam idiosyncrasiam dicunt, ad excitandos eorum morbos facit. Hac enim fieri potest, ut irritamentum quodcunque levius, quod exiguos tantummodo effectus in alios habet, in alios incredibile quantum efficiat. Idiosyncrasiam medici in sympathiam et apathiam distinxere, variasque ad eam illustrandam opiniones adhibuere, quas exactius recensere longius a proposito nostro abesse videtur. Per contagionem paucissimi nervorum morbi excitantur, e quorum numero vel maxime eminere hydrophobiam, cognitum est. Infensissima quidem nervis pleraque tam contagia quam miasmata sunt, simul vero alios quosdam eosque eminentiores in corpus humanum effectus exserunt, ut typhosum istud, quod febrem typhosam inducit, quam minime ad nervorum morbos pertinere, initio huius disputatiunculae sat luculenter demonstravimus. Sin autem ex febre qualicunque nervosa vel alio quodam morbo contagioso vervorum quis morbus exoritur, eum a contagio excitatum esse, contendere non licet, cum ex eius tantummodo effectibus, interposita longa commutationum morbosarum serie, eum originem cepisse, appareat. At nervorum plerique morbi per sympathiam, quam dicunt, ex solo insultus alicuius adspectu conceptam, cum sanis ab aegrotantibus facile communicari possunt, quod et in levioribus

quibusdam nervorum affectibus frequentissime observatur, ut in oscitatione, risu, fletu, tussi, tristitia. Hoc modo frequentissime epilepsiam nanciscuntur, quique diutius cum insanis commercium habent, facile et ipsi insani evadunt. Huius sympathiae causam summus ille Boerhaavius[1]) inexplicabilem esse iudicavit, etsi plurimis tam observatis quam opinionibus mirifice a se illustratam.

Exitus.

Raro pristinam ad sanitatem aegros perducere licet, qui morbis nervorum laborant, quod et natura in eos parum actuosa est, nec ideo ars multum valet. Sin autem casu evenit, ut vel morbi causae arte removeri possint, vel aliam quamcunque corporis conditionem, quae ad morbum facit, et medelam pro sua natura recipit, investigare liceat, quod haud raro fieri posse, usus quotidianus ostendit, medicabiles profecto nervorum morbi sunt. Maxime vero sanationem prohibet habitus ille, quo nervi penitus morbo assuescunt, ut eum, veluti altius impressum, quasi nova nervorum actio facta sit, e corpore evellere iam non

---

1) De sympathia. in Praelect. de morbis nervorum edit. Eems. Lugd. Batav. 1761. Tom. II. pag. 510.

liceat. Proinde omnes nervorum morbos, quo diutius perseveraverint, quoque magis habituales facti in corpore quasi inveteraverint, eo difficiliores sanatu esse, suo fundamento constat, quod cum de ceteris, tum de epilepsia valet. Morte tamen rarissime terminantur nervorum morbi, sic ut ad senectutem provehi istiusmodi aegrotantes haud raro observetur.

Quod si autem in mortem abeunt, vel vitium in fabrica alicuius partis ab iis excitatum est, quod per se pestiferum in corpus effectum exserere potest, vel corpore tenui atque infirmo, ipsa morbi vehementia extingui aegrotantes possunt, turbatis nimirum ceteris corporis actionibus, sanguinis puta in orbem actione ac nutritione. Sic infantes vehementius convulsi haud raro pereunt, ipsique dolores perniciosissima symptomata, ut convulsiones, lipothymiam et simila excitare valent.

Apoplexia quoque nervosa finem imponere nervorum morbis consuevit, si illi morbi vehementiam diutius tolerare nequeunt, indeque graviores corporis actiones vel inhibentur vel abolescunt. Sic frequentissime apoplexia extingui eos videmus, qui convulsionibus gravioribus vel aliis id genus affectibus tentantur.

Curatio.

Haec ad causas quam exactissime respondeat, necesse est. Duplex autem causa omni nervo-

rum morbo subest, altera materialis, altera dynamica. Si materialis subsit causa, ea amovenda est, quod quandoque fieri posse, constat. Saepius vero ignoratur, si penitius delitescit et solos eius effectus sub oculos dat, ut spina ossea, quae cerebrum irritando varios nervorum morbos excitat, quandoque autem amoveri potest, ut venena variaque corpora aliena, vermes, calculus vesicae, qui convulsiones efficit. Quibus causis vel scalpello vel convenientibus medicamentis amotis, morbus nervorum cessat, sin autem longa consuetudine penitus receptus est, usque remanet, causa materiali tunc in dynamicam transmutata. Aliae causae amoveri non possunt, uti varia vitia organica, excrescentiae, tumores interni, partes ossificatae, quibus nervi irritantur, premuntur, eorumque actiones intercipiuntur, ut tophus versus internam cranii thecam extuberans. Deinde causae irritantes esse possunt chemicae, transitorio modo agentes aut miasmata, contagia v. c. typhosum, tussis convulsivae aliaque nervos afficientia. In causarum quoque numero afferendi varii morbi sunt, qui ex se generare morbos nervorum valent, v. c. morbus venereus, scrofulosus, quibus occurrendum validioribus medicamentis est, quo citius cessante causa, cesset quoque effectus. Hinc indicatio generalis est, si causa amoveri potest, ut amoveatur, sin secus, in nervos recta via agendum est, eorumque actuositas vel sopienda vel

ex toto commutanda. Sopiuntur autem nervi medicamentis narcoticis eorumque vim permutare valent varia remedia, quae singulas curandi methodos afferendo breviter indicasse sufficiat.

1. *Methodus antiphlogistica* haud raro aegris suppetias ferre observatur, quae sanguinis appulsum frangit ideoque sensorium a morbosa irritatione liberat, inde profecta. Convenit plethoricis, robustis, quibus facies est turgida adspectus truculentus, pulsus fortes, praesertim si suppressiones profluviorum habitualium causam morbo suppeditarunt; sanguis vero largiter mittatur, et venaesectio, si res exigit, et vires patiuntur, commode iterari potest. Auxilium quoque ferunt, si sanguis vehementer ad caput aggeritur, hirudines, praemissa venaesectione, itemque fomentationes ac perfusiones frigidae, capite ad cutem tonso. Optime vero istiusmodi morbis occurrere licet

2. *Methodo evacuante*, vomitoriis nimirum et purgantibus. Illa praesertim auxiliantur, si saburra aegrotantibus vel colluvies biliosa molestias exhibet, neque evacuando solum, verum etiam concutiendo saluberrime in nervorum compagem agunt. Haec omnem morbosam sensorii communis actuositatem efficacissime in abdomen deducunt; maxime vero in usum vocari debent, si sordes intestinorum adsunt, causamque morbo accessoriam praebent.

Quae si parum profecerint, in usum vocanda est methodus, quam dicunt

3. *revulsoriam* sive *antagonisticam*. Haec nervorum vim quasi deducendo atque in dissitum locum novo stimulo attrahendo, plurimam certe securitatem pollicetur, nec multa ei impedimenta obstant. Rationem, qua agat, exactius quidem explicare non licet, aliquatenus tamen haec ex illo antiquiori praecepto intelligi potest, quo irritatio maior tollit minorem. Quae omnia eo laetiorem prosperi successus spem subiicere, quo apertius causam quandam medicabilem debellare liceat, per se patet. Praestantissima vero auxilia sunt vesicatoria vel in nucha, vel in brachiis, vel inferioribus in partibus posita. Neque negligendus est ceterorum remediorum, quibus ulcera excitantur, atque rubefacientium usus, quo pertinent fonticuli, setacea, cortex Mezerei per longius temporis spatium adhibita.

Sin autem irritationem nervorum citius mitigare et promptius veluti evocare velis, usum sinapismi praestant, sique malum vel pertinacius vel vehementius est, moxa ipsumque ferrum candens, quo cutis proxime locum affectum aduratur. Denique haud praetereundum est unguentum Autenriethianum et solutiones tartari stibiati saturatiores, quibus cutis irritetur. Variarum quoque impetiginum insititiones, praesertim scabiei, maxime a nonnullis laudatae, si qua suppressionum

illarum suspicio subsit, obiter tantum commemoro.

4. *Methodus subemetica*, qua vomitoria refracta dosi ita adhibentur, ut nauseam solum excitent, quam efficacassime in nervos agere, constat. Irritationem e cerebro quasi revellit, quocirca una fere est cum methodo modo proposita.

5. *Methodus restaurans.* Hac diminuta nervorum vis recolligitur et refocillatur, sique morbi nervorum ex debilitate exorti sunt, nulla certe alia methodus tam apte in auxilium vocatur. Sin autem causa dynamica et morbosa solum dispositio nervorum subest, indicationes profecto perobscurae sunt, nisi eam sufficere sanando morbo contendas, qua nervorum vel debilitas vel incitabilitas curanda quomodocunque et compescenda est. Haec praecipue ad eos nervorum morbos referenda sunt, qui ex terrore vel animi permotionibus coorti, ut epilepsia, convulsiones, morbus hystericus, nullam aliam indolem praeter nervorum commutatas actiones et incitabilitatem nimiam prae se ferunt. In quibus cessante causa effectus non cessavit, sed cum nervorum vitá penitius communicatus usque perseverat. Si quis morbus mentis eiusmodi indolem prae se fert, utique recurrendum est ad

Methodum psychicam nostris temporibus valdopere excultum atque a Reilio egregie illustratam. Summa vero cautione in eligendis variis rationibus

tionibus, quibus aegroti habendi sunt, opus esse, cuique apparet, qui vel leviter eiusmodi rebus imbutus est. Abarcenda est omnis nimia severitas, prorsusque eiiciendae sunt plagae, quae pessimos certe in aegrotos effectus exserunt eosque pertinaciores etiam reddunt. Quod non ita acceptum esse velim, quasi omnem terrori scienter excitato efficaciam denegaverim, hunc enim in pertinaciores maligni moris optime agere, quandoque observatum est. De tenebris, de carceribus et vinculis nil amplius edisseram, praestantiores enim auctores de his eximie scripserunt, facileque ex modo propositis intelligi potest, quando ab iis vel plane abstinendum vel ad ea tanquam ad extremum recurrendum sit.

Longe plurimis sane benignitas atque humanitas convenit, qua et curae leniantur, et perversae imagines sensim et gradatim ex animo evellantur.

Divisiones.

Variae variis ab auctoribus nervorum morborum divisiones adhibentur, quas modo ab ipsis nervorum actionibus desumi, modo ad alias dividendi rationes respondere, obiter praemonuisse sufficiat. Quoad originem in hereditarios, congenitos et acquisititios, in endemicos et epidemicos, quoad sedem in universales et particulares dividuntur.

Maxime rationalis horum morborum divisio nervorum viribus actionibusque respondet, qua musculi ad contractiones provocantur, sive voluntati pareant, sive huius imperio subtracti sint. Quodsi vis motrix nimis impetuosa evadit spasmi oriuntur et convulsiones, si languescit, resolutiones et paralyses insequuntur.

Alia vero nervorum facultas sentiendi est et percipiendi eamque non animatis solum corporibus, verum etiam vegetabilibus inesse, quippe quae et irritamenta extrinsecus admota perspicue persentiscant, et contractiones quoque per contractilitatem exserant, haud iniuria nonnulli contendunt.

Inferioris vero conditionis animalibus ut limacibus similibusque haec una nervorum vis, quam sensitivam dicunt inesse videtur, quod in transitu attulisse sufficiat.

A percienpiendi facultate vis cogitandi dependet, qua propagato ad sensorium commune nervorum sensu, inextricabili ratione notiones concipiuntur, quas homini soli proprias esse, utpote cuius sensorium commune summos perfectionis gradus attingit, verisimile est. Ceteris vero etsi perfectioris naturae animalibus vis cogitandi haud dubie multo imperfectior inest. Inferioris conditionis vis illa nervorum appetendi est, omnibus certe animalibus propria, qua modo desideramus, modo aversamur. Omnes vero nervorum atque sensorii communis vires, in homine mirifice in altiores istas animi facultates attolluntur, ratiocinandi puta, imaginandi, memorandi, quibus ceteris animantibus longe praestat. Quarum facultatum alienationes morbos, quos dicunt mentales, repraesentant, de quibus, si fusius disseserem, quum longiorem sibi orationem exposcant, commentarioli fines facile excederem. Et haec hactenus, lector benevole. Breve de norvorum morbis commeetariolum, ut indulgenter accipias, rogo.

Curriculum Vitae

ex decreto Facultatis medicae Berolinensis adiectum.

Ego Ioannes Augustus Hübner, Leomontii, Silesiae inferioris oppido anno MDCCXCIII. natus sum patre optimo Thoma Hübner molitore, matre Iuliana e gente Stephaniana, qui optimi parentes litterarum rudimentis quam optime me institui curavere. A. MDCCCVII Vratislaviam me contuli, ubi per septem annos et in Gymnasio Leopoldino et in Elisabethaneo litteris operam dedi. Examine rite peracto, anno MDCCCXIV a Celeb. Augusti i. t. Rectore Magnifico in numerum civium academicorum receptus, studiis physices et philosophiae ducibus Cel. Steffens, Iungnitz et Kaysler incubui. Deinde Cel. Hagen osteologiam et angiologiam mihi tradidit. Cel. Otto anatomiam et theoreticam et practicam me docuit. Chemiam, quam dicunt experimentalem, medicinae historiam, Botanicen et plantarum tum anatomiam tum physologiam ab Ill. Link traditas accepi, neque neglexi et scholas Botanicas Cel. Heyde frequentare. Ill. Berends interpretationibus in Celsi libros de medicina interfui. Cel. Bartels physiologiam, pathologiam generalem atque doctrinam de electricitate animali mihi exposuit. Cel. Wendt in methodum formulas concinnandi, materiam medicam, toxicologiam et doctrinam de morbis syphiliticis me introduxit. Cel. Benedict praelectionibus chirurgicis, ophthalmiatricis deque arte fascias chirurgicas applicandi interfui, a quo etiam viro praxi chirurgica institutus sum.

Hisce studiis peractis anno MDCCCXVI. Vindobonam me contuli, ubi scholas pharmacalogicas Cel. Hartmann frequentavi. Artem medicam duce Illustr. Nob. ab Hildenbrand in instituto clinico exercere coepi eiusque praelectionibus de morbis acutis interfui. Cel. Kern et Zang aegros,

ut viserem in institutis chirurgicis mihi concesserunt. Cel. Beer opthalmiatricem me docuit, nec non ut exercitationibus clinicis adessem permisit. Artem obstetritiam a Cel. Pirli explicatam accepi. Celeb. Veith in medicina veterinaria me auditorem admisit

Anno MDCCCXVII Berolinensem litterarum Universitatem adgressus a Cel. Marheinecke civibus academicis adscriptus sum. Hic scholis clinicis Illustr. Horn itemque praelectionibus de therapia speciali atque doctrina de morbis venereis interfui, unaque Perillustr. Hufeland scholas de morbis chronicis frequentavi. Anatomiam comparatam ab Illustr. Rudolphi accepi. De morbis acutis Illustr. Formey disserentem audivi.

Studiorum academicorum cursu absoluto, atque tentamine examineque rigoroso coram gratiosa Facultate medica feliciter peractis, dissertationem de nervorum morbis generatim conscripsi, qua defensa, spero fere ut summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

Theses defendendae.

I. In nervorum morbis prognosis nonnunquam sat certa.

II. Vis reproductiva a nervorum actionibus pendet.

III. Gradus hypochondriae aliquis ad vitae amoenitatem confert.

IV. Typhi causam proximam inflammationem esse nego.

V. Sanguinis detractione in febri putrida interdum opus est.

VI. Scirrhus ex inflammatione lymphatica originem ducere videtur.
